

Principium seculi et conditionis mundi secundum Egyptios^{a)}, quibus Abraam^{b)} a Calldeis^{c)} edoctus astrologiam advexit, 15. die Kal. Apr.¹⁾ contigisse fertur, eo quod eo die zodiaci^{d)} initium extitisse, atque iuxta zodiaci^{d)} divisionem^{e)} eo die facta est lux, quo sol arietis signum revertens ad exordium ingrediebatur; qui 4. die conditionis seculi videlicet 12. die Kal.²⁾ supradictarum incipiente creatus est, quique pari spatio dividens lucem et tenebras sua presentia absentiaque vernale equinoctium^{f)} eodem die fecit. Cuius diei initio tunc cum celi locum oriens cepit, quem astrologi quartam partem arietis esse dicunt, eumque post 365 et 6 horas rediens propter has horas anno sequente^{g)} meridie^{h)} faciens vernale equinoctium intravit, tertio anno vespere, quarto anno media nocte, quinto anno rursum mane sicut primo occurrit, in qua die invenitur sol non solum primam signi partem conscendisse, verum etiamⁱ⁾ quadrantem^{j)} in ea die habere. Ipsa est per naturam caput signiferi, ibi 12 signa, que particule nominantur, initium habere^{k)} et terminum^{l)}. Anatholius^{m)} refertⁿ⁾ ibi quadrantem, ibi saltum incipere ac finire, ibi annum magnum, hoc est planetarum cursum exordium finemque sortiri.

Luna eiusdem diei vespera plena orientis a medio apparens, quartam partem libre, que est equinoctium autumnale, tenuit, initiumque paschale suo exortu consecravat. Neque alia servandi Pasche est regula, quam, ut equinoctium vernale plenilunio succedente perficiatur. At si vel uno die plenitudo lune precesserit^{o)} equinoctium iam non 1. mensis, sed ultimi luna putetur. Itaque non ab re est, quod tunc sol non 1. neque 2. vel 3. diei, sed 4. potestatem, luna vero illuminata ab eo cum stellis tandem ad vesperam noctis potestatem accepit. Sed verus ille sol, qui est Christus, decurso tempore ante legem legalique atque prophetali gratia per se incipiente nobis ortus est, sueque lumine gratie corpus ecclesie, quosque viritim preveniens illuminavit, quia plenilunium Pasche ante equinoctium non potest, ut nostrum Pascha equinoctiali solis exortu cuncta^{p)} videlicet tenebrarum offendicula vincentis nos nostre devotionis plenilunio subsequente celebremus, et paulo post: Interrogatio: De³⁾ equinoctio vernali^{q)}, quod caput esse quatuor mu-

^{a)} Egiptios V. ^{b)} Abraham L. ^{c)} Chaldeis L. ^{d)} zodieci V. ^{e)} divissionem V. ^{f)} equinoctio V. ^{g)} sequenti L. ^{h)} meredie V. ⁱ⁾ et V.
 ^{j)} quadram iam V. ^{k)} habent L. ^{l)} finem L. ^{m)} Anatolius L.
 ⁿ⁾ reffert V. ^{o)} precessirit V. ^{p)} cuncta V. ^{q)} vernale V.

¹⁾ 18. III. ²⁾ 21. III.

³⁾ Beda DTR 30, ed. Jones S. 236 f. bzw. DRC 10, Migne, PL. 90, 588 f.; vgl. Epist. ad Wicthedum, ed. Jones S. 325.